

ergo non omnino privatur auxilio sufficiente. Denique talis peccator, cum habeat fidem, potest per illam orare, et ad hoc sufficienter excitatur ipsamet tentatione et periculo; si autem oret sicut oportet, non denegabitur auxilium; ergo.

15. Si autem sit sermo de auxilio ad non peccandum diu, quia ad hoc est necessaria gratia sanctificans, auxilium sufficiens ad justificationem erit consequenter, saltem remote, sufficiens ad non peccandum postea quovis tempore, juxta dicta capite præcedenti, et illud satis est. Jam ergo probatur nemini fideli negari auxilium sufficiens ad resurgendum a peccato, quando hic vivit, quia etiam ille peccat quoties debito tempore non servat pœnitentiæ præceptum quo obligatur, nec enim propter peccata præcedentia excusatur; idemque de præcepto amandi Deum super omnia: si autem talia præcepta servet, justificabitur. Item semper potest orare per fidem quam habet, et redit argumentum factum. Ab his autem obligationibus nemo excipitur; ergo nec a regula habendi auxilium sufficiens fidelis aliquis excipiendus est.

16. *Instatur contra, ex sancto Paulo, Rom. 2.*—*Instantiæ respondetur.*—Dicunt aliqui tali homini non dari auxilium sufficiens, etiam pro illo tempore, et nihilominus imputari ei peccatum quod tunc committit, quia propter peccata præcedentia illi denegatur tale auxilium, juxta illud Pauli ad Rom. 2: *Propter quod tradidit illos Deus in reprobum sensum, ut faciant ea quæ non conveniunt.* Imo addunt aliqui, etiamsi per totam vitam denegentur homini talia auxilia, imputari illi omnia sequentia peccata, quia propter peccatum originale denegantur. Sed hoc nullo modo sustineri potest, quia si homo, eo tempore et momento quo transgreditur præceptum, non habet libertatem, nec potestatem ad vitandum actum, erit quasi materialis transgressio, et non imputabitur ei ad novam culpam, et consequenter nec ad novam pœnam coram Deo, ut est certa doctrina; at Paulus dicit de tali homine quod thesaurizat sibi iram; ergo de novo committit culpam; ergo non imputatur tantum ratione præcedentis culpæ. Accedit quod effectus secutus ex priori culpa, si nullo modo fuit prævisus, nec moraliter prævideri potuit, etiam in priori culpa non imputatur, quia non est voluntarius: in præsentem autem talis effectus non est prævisus in præcedenti culpa, et maxime in originali; ergo nullo modo imputatur, si in tempore, quo fit delictum, deest

auxilium quo possit vitari; ergo necessario fatendum est in illa opportunitate non negari. Et hæc est expressa sententia Augustini, l. 3 de Liber. arbit., capit. 18, 19 et 22; contra Faustum, cap. 44 et 45; contra Julian. cap. 5, et lib. de Nat. et grat., cap. 67.

17. *Alteri instantiæ respondetur.*—Dicebat hæc ad summum procedere de fideli, quando in fide perseverat: fieri autem posse ut propter multiplicationem peccatorum ita derelinquatur, ut fidem amittat, et ita omni auxilio sufficienti privetur. Respondeo: vel talis homo consideratur priusquam amittat fidem, vel postquam amisit illam; in hoc posteriori tempore, jam inter infideles numeratur, de quibus capite sequenti dicemus. In priori autem tempore, nunquam privatur auxilio sufficienti ad conservandam fidem, quantumvis alia peccata multiplicet fidei non contraria; quod patet ratione facta, quia non privatur auxilio ad vitanda alia peccata in particulari; ergo nec ad vitandum peccatum contrarium fidei; alias, sentiendo contra fidem, vel illam negando, non peccaret, et consequenter nec fidem amitteret; nam fides semel habita non amittitur in hac vita sine culpa illi contraria. Ergo fidelis peccator nunquam privatur auxilio sufficienti ad resurgendum a peccato. Hæc autem intelligenda sunt in auxilio sufficienti communi et ordinario; nam extraordinariis auxiliis sæpe privantur peccatores propter peccata sua, ut capite sequenti dicam. Unde fit ut sæpe moraliter resurgere non possint propter nimiam difficultatem ex prava illorum dispositione subortam; quia commune auxilium, licet in rigore sufficiat ad opus, moralem tamen difficultatem non aufert, quæ interdum vocatur impossibilitas, vel moraliter, vel secundum Dei præscientiam, et quia in illa difficultate et impossibilitate sæpe derelinquuntur a Deo, ideo dicuntur in Scriptura deserti et obdurati, ut in capite sequenti generalius dicemus. Quædam vero Augustini loca difficilia, quia omnibus statibus peccatorum communia esse possunt, in capite ultimo hujus libri tractabuntur.

CAPUT XI.

QUOMODO INFIDELIBUS DETUR AUXILIUM SUFFICIENTER AD FIDEM ET SALUTEM.

1. *Sub illis omnibus quos Deus salvare voluit, infideles comprehenduntur.*—*Probat ex Scriptura.*—*Item ex sanctis Patribus, Au-*

gustino, Gregorio Nazianzeno, Ambrosio, etc.—Supponimus generalem regulam, cap. 8 constitutam, etiam in omnibus adultis et infidelibus locum habere, quia illi etiam sub illis omnibus, quos Deus salvare voluit, sub illisque omnibus pro quibus Paulus orare obsecrabat, comprehenduntur. Imo principes et reges, pro quibus in particulari orationem postulabat, eo tempore infideles erant; et præterea Scripturæ locutiones sæpe sunt ita universales, ut omnes comprehendant, ut Joan. 1: *Illuminat omnem hominem*; Apocalyps. 3: *Ecce sto ad ostium, et pulso, si quis, etc.*; et huc etiam spectat generalis vocatio Christi, Matth. 11: *Venite ad me omnes, etc.*; interdum vero loquitur specialiter de impiis et infidelibus. Et Paulus, Actor. 14, cum dixisset Deum reliquisse gentes ingredi vias suas, statim conatus ostendere non fuisse relictas sine sufficienti auxilio. Et hoc etiam supponit ad Romanos 1, cum dixit gentes fuisse inexcusabiles. Item Isai. 65: *Expandi manus meas ad populum non credentem et contradicentem.* Et hoc etiam probat universalitas redemptionis Christi, juxta illud 1 Cor. 5: *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi*, nam in mundo etiam infideles comprehenduntur, et ideo ipse præcepit Apostolis: *Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ*, quia omnibus sine exceptione media salutis præparabat. Et ad eundem modum loquuntur de generali largitione gratiæ quantum est ex parte Dei, Patres quos partim in dicto lib. 4 de Prædest., c. 4, allegavi, partim in superioribus ostendendo dari reprobis auxilium vere sufficiens; quibus addi possunt Dionysius, c. 9 de Cœlest. Hierarch., dicens radium divini luminis paratum semper esse, et omnibus patere ad participandum, et ad cæcitatem erroris expellendam. Et Nazianzenus, qui, orat. 21 de Laudib. Athanas., in principio, Deum confert soli qui mundum illuminat universum; quam comparisonem eleganter etiam ponderat Ambrosius, serm. 8 in Psal. 118; et August., l. 1 de Gen. contra Mar., cap. 3, et lib. 1 Retract., cap. 10; Cyrillus et Chrysostomus in Joannem ita exponunt verba illa: *Illuminat omnem hominem, etc.* Chrysostomus item, homil. 26 ad Hebr., Deum dicit paratum esse ad omnes juvandos, et idem habet late Prosper, fere toto libro 2 de Vocat. gent., præsertim cap. 25, 26 et ult.; denique rationes supra factæ cap. 8 hoc confirmant.

2. *Infidelium ordines tres distingui possunt.*—*Lapsi a fide gratiam sufficientem receperunt.*

—*Item illi quibus fides sufficienter est prædicata, sed surdis.*—Hæc igitur veritate supposita, quærimus quomodo hæc sufficiens gratia omnibus infidelibus conferatur. Possumus autem infideles in tres ordines distinguere; quidam sunt quibus non solum prædicata fuit fides, sed etiam interdum donata; ab illa tamen postea per apostasiam et hæresim ceciderunt. Alii quibus fides prædicata sufficienter est, illam tamen amplecti noluerunt. Alii, qui vel nihil de evangelica fide audierunt, vel certe nunquam fuit illis sufficienter proposita. De primis facilis est responsio; dicendum est enim hujusmodi homines, antequam fidem perderent, ita recepisse auxilium sufficiens ad perseverandum in fide, sicut accipiunt justum auxilium sufficiens ad perseverandum in gratia, licet postea illam amittant. Itemque dicimus, si tantum fidem mortuam habuerunt, ita accepisse auxilium sufficiens ad comparandam vitam ejus, seu charitatem et justitiam, sicut alii peccatores, qui semper in fide perseverant, illud accipiunt. Et eadem proportionalis ratio et omnia ibi dicta possunt hic facile applicari, neque in hoc est nova difficultas. Postquam autem isti facti sunt infideles, credendum est non omnino privari auxilio sufficienti, ut recipiscant, juxta proxime dicta in capite præcedenti, quia semper manent viatores, et resurgere possunt. Quia vero initium justificationis a fide sumendum est, et illi fide carent, auxilium sufficiens eorum incipit a vocatione ad relinquendum errorem, et ad veram fidem redeundum. Hanc vero vocationem recipere credendum est temporibus opportunis (sicuti diximus de vocatione ad pœnitentiam), quando occurrit aliquid quod memoriam antiquæ fidei et prioris lapsus excitet, vel quando necessitas confitendi, aut exercendi fidem, occurrit, vel aliis similibus, præter alias occasiones quas Deus, pro sua liberali gratia, ad hujusmodi homines excitandos observat, vel procurat. Addo insuper, præter vocationem ad fidem, posse illis dari auxilia ad aliqua opera bona, ut in sequenti membro dicam; est enim quoad hoc eadem ratio. De secundo item genere infidelium, qui non ignorant inculpabiliter Evangelium, quia illis sufficienter propositum est, non est explicatu difficile, quando et quomodo datur eis auxilium sufficiens ad salutem. Nam in illis etiam primum auxilium necessarium est ad credendum; hoc autem illis datum est, quando illis fuit proposita fides; quia, ut diximus, Deus non negat internam vocationem, quan-

do externam concedit; ergo, sicut exterius vocati sunt, ita etiam est credendum interius fuisse sufficienter excitatos, vel ut possent immediate velle credere, vel saltem ut aliquam diligentiam adhibere possent ad perfectius audiendum, vel considerandum, ut ita possent paulatim ad voluntatem credendi pervenire; nec enim necesse est ut hoc auxilium sufficiens a principio sit integrum, et completum respectu deliberati consensus fidei, vel poenitentiae, vel alterius similis actus, quasi ultimate intenti; sed satis est quod sit sufficiens ad aliquid agendum, quod si fiat, dabitur ulterius auxilium, et sic consequenter, donec ad proximum seu integrum perveniat: unde si primus gratiæ impulsus in vacuum recipiatur, quia homo deest gratiæ Dei, contingere potest ut Deus ulterius in motionibus gratiæ non progrediatur.

3. *Instatur, et instantiæ respondetur.* — Dices: quod si homo cui semel prædicata est fides tunc resistit, et postea iterum non occurrit occasio audiendi fidem, numquid ille homo manet, in reliquo vitæ suæ tempore, sufficienti auxilio gratiæ destitutus? Videtur enim id sequi ex declaratione facta, quia tali homini non datur hoc auxilium, nisi per fidei prædicationem: hoc autem videtur absurdum, tum quia alias auxilium sufficiens multis hominibus solum daretur semel vel iterum in vita, quod non potest dici auxilium absolute sufficiens ad salutem; tum etiam quia alias talis homo, post illam primam resistantiam, et ratione illius, maneret quodam modo extra statum, vel saltem extra possibilitatem salutis. Respondeo: si in huiusmodi homine maneat aliqua memoria prioris vocationis et prædicationis fidei, per illam poterit iterum vel sæpius excitari; quia moraliter deesse non possunt occasiones excitantes memoriam illam, quas credendum est Deum non præterire, quin eis ad vocandum interius hominem utatur; si vero nulla manet memoria præteritæ vocationis et prædicationis, vel nihil amplius occurrit quod illam excitet, tunc de tali homine pro illo tempore ita iudicandum est, sicut de aliis qui nihil de rebus fidei unquam audierunt, de quibus dicendum superest.

4. *Tota difficultas est de illis quibus fides non est prædicata.* — *Ratio difficultatis proponitur, et probatur ex sacra Scriptura.* — Tota igitur difficultas est de his infidelibus quibus Catholica fides nunquam fuit prædicata, nec de illa quicquam audierunt. Ratio autem difficultatis est, quia isti nunquam receperunt

auxilium sufficiens ad credendum; ergo neque ad salutem. Consequentia clara est, quia fundamentum salutis est fides: ideoque qui credere non potest, nec salvari potest; sed qui non recipit auxilium sufficiens ad fidem, credere non potest; ergo nec salvari potest, nec auxilium sufficiens recipit ad salutem. Antecedens probatur, quia fides ex auditu, teste Paulo ad Roman. 10, unde subjungit: *Quomodo credent ei quem non audierunt; quomodo autem audient sine prædicante?* Et ideo dicebat Christus Dominus Luc. 7: *Rogate Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam;* quia hos operarios statuit Deus fidem propagare, et homines ad credendum excitare; et ideo Paulus, ad Roman. 1, dicit Evangelium esse virtutem Dei in salutem omni credenti, quia per illud revelatur justitia Dei ex fide. Ergo quibus non est prædicatum Evangelium non est applicata virtus, neque aperta via ad credendum; ergo non recipiunt auxilium sufficiens quo possint credere. Secundo, argumentari possumus ex his quæ in Scriptura legimus: nam quos Deus vult ad fidem attrahere, ad illos prædicatores mittit; et quibus negare vult vocationem ad fidem, prædicationem etiam externam avertit. Primum ostenditur in facto eunuchi, ad quem Deus misit Philippum, Actor. 8, et ex facto Cornelii, ad quem Deus misit Petrum, Actor. 10. Imo etiam ad Paulum missus est Ananias, Act. 9. Et cum Deus vellet Macedonios ad fidem vocare, visio per noctem Paulo ostensa est, vir Macedo quidam erat stans, et deprecans eum, et dicens: *Transiens in Macedoniam adjuva nos,* Actor. 16, ubi subjungitur de Paulo: *Ut autem visum vidit, statim quæsiturus proficisci in Macedoniam, certi facti quod vocasset nos Deus Evangelizare eis.* E contrario vero, cum Deus nollet pro eo tempore Asiam et Bythiniam ad fidem vocare, Paulus et socii vetiti sunt a Spiritu Sancto loqui verbum Dei in Asia, et cum tentassent ire in Bithyniam, non permisit eos Spiritus Sanctus; ergo signum est eos vocari quibus prædicatur Evangelium, et illos non vocari quibus non prædicatur; ergo hi non accipiunt auxilium sufficiens ad credendum.

5. *Ex sancto Augustino, Prospero, Chrysostomo, D. Ambrosio, D. Thoma et aliis.* — Tertio, augetur difficultas, quia hinc colligit Augustinus magnam esse Dei gratiam, quando prædicatores fidei et suasores veritatis ad aliquem mittit, quia nimirum illa est via ad initium fidei et justitiæ; e contrario vero ad occultum iudicium pertinere, quando Deus præ-

dicatores verbi sui ab aliqua gente avertit, vel occasionem audiendi verbum Dei negat. Primum patet ex Augustino, locis sæpe citatis, quæst. 2 ad Simplic., et de Spiritu et litt., cap. 34, et de Prædest. Sanct., cap. 8, et sumitur ex his quæ in expositione mystica Psalmi 134 dicit, circa illa verba: *Educens nubes ab extremis terræ,* per nubes intelligens Apostolos, et alios Evangelii prædicatores, per quos Deus fulgura in pluviam convertit, id est, terrores et vindictas in pluviam gratiæ et misericordiæ; et in Psalm. 37: *Numquid mortuis facies mirabilia, aut medici suscitabunt, et confitebuntur tibi?* Ubi per medicos etiam Pastores et Doctores Ecclesiæ intelligit, qui, licet non suscitent spiritualiter mortuos, applicant tamen medicinam, quia per gratiam Dei suscitantur. Ac denique, lib. 1 de Peccat. merit., cap. 22, ex gratia et prædestinatione Dei dicit oriri quod aliquis, etiamsi rudis ingenio et pravis moribus sit, occasionem habeat audiendi Evangelium, et inde proficiendi ad salutem. Et ibidem edocet, miraturque quod sæpe alius melioris ingenii, naturæ ac probitatis morum ibi nascatur, et usque ad mortem vivat, ubi nunquam prædicationem Evangelii audiat, quod pertinet ad secundam partem, quam proposui. Et similia fere habet dicta quæst. 2 ad Simplicianum, sub finem. Prosper etiam, lib. 2 de Vocat. gent., cap. 2, et contra Collator., c. 25, et ad Gallos, c. 3, et epist. ad Rufin., ad hoc iudicium Dei refert, quod Spiritus Sanctus vetuit Paulum ire in Asiam et Bithyniam ad prædicandum Evangelium, Act. 16; et similiter, quod Paulus ait Rom. 1, sæpe proposuisse ire Romam ad prædicandum Evangelium et prohibitum fuisse, a Spiritu Sancto fuisse prohibitum Chrysostomus, Ambrosius, D. Thomas et alii intelligunt; colliguntque inde tam verba, quam itinera prædicatorum a nutu Dei pendere. Ergo qui divino iudicio hac gratia, seu hoc ostio ad gratiam privantur, gratiam sufficientem ad salutem non recipiunt.

6. *Ratione probatur.* — Quarto, possumus ratione argumentari, quia infideles qui prædicationem fidei non habuerunt, habent ignorantiam invincibilem fidei, et non peccant non credendo: ergo signum est non habuisse auxilium sufficiens ad credendum, ac proinde nec ad salutem. Probatur consequentia, quia qui, cum auxilio sufficienti, non facit quod tenetur, peccat, quia potest, tenetur, et non facit; at isti non peccant, etiamsi teneantur, per se loquendo; ergo signum est per impotentiam ex-

cusari: hæc autem impotentia non provenit nisi ex carentia auxilii sufficientis, nam in reliquis potestatem habent; ergo.

7. *Infidelibus quibus fides non est prædicata, gratia sufficiens ad salutem non denegatur.* — *Probatur assertio ex sacra Scriptura.* — Nihilominus dicendum est his infidelibus non negare Deum auxilium sufficiens ad salutem. Hæc veritas ex generali regula cap. 8 demonstrata colligitur, et in locis Scripturæ ibi citatis convincitur, præsertim illis quæ generalius loquuntur, et Proverb. 4: *Sapientia foris prædicat, in plateis dat suam vocem.* etc.; Sapient., 11 et 12, late; optimum vero testimonium est illud 1 Timoth. 4: *Speramus in Deum vivum, qui est Salvator omnium hominum, maxime fidelium;* quod multi exponunt, quia omnium est Salvator, saltem quoad corpora, juxta illud: *Qui solem suum facit oriri super bonos et malos,* etc.; fidelium autem est Salvator, etiam quoad animos. Sed hoc non placet, quia eodem modo dicitur Salvator respectu omnium, maxime vero fidelium, quia eos specialius beneficiis prosequitur. Atque ita intellexit Paulus Orosius, ut statim referemus; et Prosper, libr. 3 de Vocat. gent., cap. 10, alias 31, dicens: *Quæ sententia subtilissimæ brevitatis et validissimi roboris, si tranquillo consideretur intuitu, totam hanc, de qua agimus, controversiam dirimit,* quia nimirum Paulus, dicendo *omnium,* et addendo *maxime fidelium,* aperte significavit omnes et quoscumque infideles sub illa generalitate comprehendendi.

8. *Ex sanctis Patribus.* — Hoc ipsum late docet et sæpe repetit idem Prosper, libr. 1 de Vocat. gent., fere per totum; expressius vero capit. 25, ita concludit: *Deo autem placuit hanc (id est, efficacem gratiam) multis tribuere, et illam (id est, sufficientem) nemini denegare;* quæ verba aliqui de gratia tantum externa, et non de interiori auxilio intelligere voluerunt; sed immerito, quia nullum habet fundamentum in verbis Prosperi, tum quia ille loquitur de gratia auxilii sufficientis: externa autem vocatio interiori destituta non est auxilium sufficiens, ut supra ostendi: tum etiam quia loquitur de gratia cum qua fiunt inexcusabiles qui non cooperantur; ad hoc autem sola vocatio exterior non sufficit. Præterea Fulgentius, epistol. 7 ad Venant., totus est in hac veritate demonstranda, eamque optimis Scripturæ testimoniis et rationibus confirmat; et licet ex instituto de fidelibus peccatoribus loqui videatur, sæpe ad omnes, tam justos quam peccatores, sermo-